prosperum in beneficiorum ille suorum, atque patriam fuisset memorem in se ipso absolvendo.

Neque vero ea res exempli videri poterat perniciosi: quippe neminem ad peccandum proniorem redditura erat venia illa, quam ad promerendum tot numeris, tantaque convenerant conditiones, quot, quantasque haud licebat sperare in rem ullam aliam in posterum eventuras. Nec tamen Horatii crimini, quam interioribus illius factis tam egregiis, utilibusque erant damni operam imitandis, quae cum in Horatii quidem ad discrimine, et liberatione vidissent quanti ea forent apud cives gratos, patriamque cupidam remunerandi.

Itaque ab extremo supplicio liberatur quidem reus, verum per quandam expiationis speciem sub jugum mittitur (Livius loco citato); videlicet, ut quod nihilominus crimen erat, id nullo tempore, nulloque in homine appareret non improbandum.

Exemplum posui justissimae, simulque rarissimae gratiae: quandoquidem sit illa perrara, si volumus esse justam. Erit autem utrumque, si tunc solum censeamus parcendum, cum magna, et evidens causa efflagitaverit caeterorum perniciem publicae lenitatem. Quod ipsum ubi dubium, cum vero

praeclare cogitabunt, qui imperant, sine criminum remissione rempublicam stare posse, sine criminum coercitione non posse.

Illud quidem intelleam planissimum, solius supremae potestatis esse poenae gratiam facere, quippe quae sola potestas valet contra legem, a qua sancitur poena (§ 8°), l. 1a in princ. et § ultimo ff. de constitutionibus principum. Judices autem, caeterique subditi omnes nihil audebunt ejusmodi: ita enim, ut scimus, partes illorum sunt obtemperare legibus, non autem a legibus aberrare (§ 11°), Beccaria dei delitti e delle pene § 4° vers. ultimo.

§ 64.

Quid sit extingui accusationem?, et quid differat ea res ab extincto crimine ipso?

Quae in judicio criminali fuerat proposita criminis actio, cum legitime tollitur, tunc extinctam dico accusationem, sublatumque judicium, quod inceptum per illam erat. Cujus rei jure communi traduntur genera duo: abolitio, atque tempus.

Abolitio publica est, aut privata. Publica abolitio fit lege, atque ex publica causa, seu cum

propter celebritatem festorum quorumdam dierum, aut propter magnam aliquam lætitiam publicam, aut ob aliquod aliud quod simile abolentur, adjectis propositis nominibus reorum nomina l. Abolitio 8ª, et seq. tum l. 9ª in princ. ff. ad Senatus Consultum Turpilianum, l. 3ª cod. de Episc. audient. l. 1ª cod. de generali abolitione. Itaque solent prolapsi rei leviorum criminum; non solent qui scelere graviore implicati, aut soliti delinquere dicta l. 3ª cod. de Episc. audient. Mat. in lib. 4. tit. 19. ff. cap. 6º num. 1º

Abolitio privata fit a judice, dum petenti accusatori is veniam dat accusationis deserendæ l. 1ª cod. de abolitionibus, l. absolutionem 16ª cod. ad legem Juliam de adulteriis, Antonius Mat. loco cit. num. 1º. Nihil autem judex concedet tale in atrocioribus, publicisque delictis, nec in cæteris, nisi ex justa, probabilique causa, ut si non malitia, verumtamen per errorem, aut fervorem quendam fuerit instituta accusatio, si accusator probaverit ulturus injuriam suam, suorumque (non fit id sine aliquo fervore, atque ei, cui parci æquum sit), si in suos ipsos cognatos egerit; si accusationem impediatur prosequi l. Senatus 15ª in princ. ff. de jure fisci,

l. 10ª in princ. ff. ad Senatus Consultum Turpilianum, Mat. loco cit., simulque erit judicantis videre, an consensus quoque rei debeat accedere.

Nam si pati reus debuerit jam tormenta, aut verbera, aut vincula, nimium sane cessatis ponitur, nec permittenda repugnante reo, cujus magnopere interesse cepit continuari judicium, quo vel nequitiam ulcisci valeat calumniantis actoris, vel impudentiam quoque ejus adigere sumptus saltem litis, et cætera illa detrimenta prestare, quibus jus, legesque neminem sinunt affici per alienam litigandi libidinem, ac temeritatem l. ultima ff. ad Senatus Consultum Turpilianum, l. cum quem 79ª ff. de judiciis, l. properandum 13ª § sive autem 6º cod. eodem tit., l. non ignorat 4ª cod. de fructibus et litium expensis, Novella 82ª cap. oportet 10º, Vinnius Partit. tit. de pœna temere litigantium ad § aut antea 1. num. 3º, et num. 4º

At si fuerit cessatum in ipso exordio, neque integer etiam non sit, absolutionem concedi a judice, quantumvis invito reo, vult ipsa lex, si qui animo non improbato venerat ad accusandum cum primo intra dies triginta ex quo in custodiam traditus reus ipse fuerit l. ultima cod. de abolitionibus.

Quam equidem rem probarem, nisi animadverterem honestos, generosque viros, quorum, quippe qui civium optimi, summa ratio habenda est, existimationem, famamque suam ceteris omnibus longe anteponere. Cui existimationi cum certe aliquid in levibus hominum mentibus detrahatur per solam vel accusationem criminis, jam quo melior quisque erit, eo vehementius justiusque detestaverit, nunquam se differentes, sine ab accusatione, et judicio discedere accusatorem; nunquam sibi potestatem sic eripi vindicandæ, palamque prodendæ integritatis suæ.

Etiam tempore scriptum est prætre accusationem: videlicet si duobus annis a contestatione litis numerandis accusator non peregerit reum, hoc est minime effecerit, ut damnaretur (l. ultima cod. ut intra certum tempus criminalis quæstio terminetur. Utinam æquitatem hanc retineret usus ubique. De vita, incolumitate, fama, ceterisque rebus carioribus non forent tamdiu homines acerbissime incerti, Beccaria dei delitti e delle pene § 19.° vers. 1.°: non paterentur sæpe innocentes annorum plurium indignam captivitatem: non ferret improbitas præter pœnam lege jussam etiam lege non jussam diuturni tristitiam carceris: nec denique videremus nocentes

ad

ad supplicium trahi illo tempore, quo prope pariter antiqui criminis memoria, ac pœna jam in spectantium animis non tam eum salutarem pariat, quam parere debet, delicti terrorem, quam potius excitat misericordiam in illum, qui plectitur, simulque in potestatem plectentem odium, et indignationem.

Nam si hujusmodi criminalis moræ proveniant ab accusatore, non solum per abolitionem judicii opitulandum est denique reo male vexato, verum etiam est perspicuum non debere accusatoris tales contumacias vacare pœnis seu malitiæ, seu negligentiæ. Similiter merito animadvertitur in judices, quotiescumque ipsi in causa fuerint, ne res citius expediantur: quamquam animadversionibus talibus ibi raro indigebimus, ubi judices eligantur digni munere tam sancto, eum eo, quo decet, honore, stipendiisque habeantur. Quod si numerus eorum, qui judicant, reperiatur forte impar frequentiæ causarum, multiplicandi illi quidem erunt, et quidvis faciendum, ne simul prodantur publica, privataque tutela, et ut illi patiantur, qui non debent pati, et, qui debent, patiantur plus justo; eaque ipsa iniqua contingant nulla cum utilitate publica, imo publico cum

Vertippa 8.

damno maxime propter nimiam extenuatam, ac debilem exemplorum, quando ad unum exemplum spectant, spectareque in puniendo leges debent; quando una illa ratio, illa utilitas excusat immanitatem, sustinetque jus omne poenarum.

Nunc extinctæ accusationis, extinctique criminis facile est probare differentiam. Nam si crimen ipsum sit extinctum, nihil nemini agendum relinquitur in illa re, quæ pro infecta cœpit haberi. At si perempta fuerit accusatio sola, reliquumque per illam constitutum judicium nihil impedit, ne tractetur iterum de eodem crimine in judicio novo. Quocirca in abolitione publica, quæ fit, quemadmodum vidimus, propter voluntatem ejus, qui accusabat (hoc eodem § 74.) accusatori, vel etiam ejus est repetere deinde reum, si modo id faciat utilis intra dies triginta, ex quo fuerunt exacta spatia feriarum indictarum l. si quis l. cum privatim 10ª § triginta 1º, l. si interveniente 15ª ff. ad Senatus consultum Turpilianum, l. 3ª § si accusator ultimo ff. de accusationibus, l. 1ª cod. de generali abolit. (Notum est in utilium numero numerari tantum dies illos, quibus jus nostrum experiri possumus: in numero autem continuorum etiam quibus non possumus l. 1ª ff. de diversis temporalibus

præscriptionibus, l. cum reus 55ª ff. de oblig. et actio, l. semper 15ª § sed si 5º ff. quod vi aut clam). Abolitio privata, quoniam ipsimet accusatori permissa concessa est, repellit idcirco eundem ad accusandum redeuntem, nisi rideat Principe auctore l. mulier 4ª § post abolitionem ff. ad S. C. Turpilianum, l. quamvis 3ª cod. eodem tit. l. 1ª cod. de abolitionibus; non repellit homines ceteros, qui nihil ejusmodi pactarunt, nihil consenserunt, l. hi tamen 16º § ab alio 11º ff. de accusationibus.

Institutionum Criminalium

Liber 2.

De Pœnis

Caput 1.um

De pœnæ ethymologia; tum de variis ejusdem verbi sensibus, reique nominibus.

§ 1.°

Vox pœna unde?, et quæ potestas vocis hujus?

Pœna vocabulum origine græcum usurpatum ad indicandam coercitionem criminum. Atque hæc propria quidem, præcipuaque significatione: etenim propter similitudinem aliis quoque rebus videmus aptatum verbum idem. Itaque pœna appellatur

et ea, quæ sæpe tum in contractibus, tum in testamentis præscribitur contra violatores eorundem l. si pœna 44.a ff. de verbo oblig., Instit. de legatis § ult. no, ibique Vinnius, Vigat vocabulario juris ad verb. pœna. Nam si delictum non semper est, at semper turpe descicere a fide conventi, aut dictam a testatore legem contemnere, postquam testatoris ejusdem liberalitatem, adjunctamque liberalitati legem volens, lubens accepisti: quas ad avertendas incomodas infidelitates privatæ hæ pœnæ solent converti.

§ 2.

De variis vocabulis eamdem rem indicantibus

Mulcta vox ab Oscis oriunda est, et in eumdem, quem pœna, sensum initio adhibita a veteribus. Deinde cœpit a pœna differre, ut species a genere: siquidem pœna retinuit pristinam significationem suam complectentem modum omnem puniendi: vocari autem mulcta cœpit pœna tantummodo pecuniaria, quam magistratus solent pro arbitrio dicere potissime in malefactis levioribus l. aliud 101.a § inter, l. si quæ pœna 244.a ff. de verborum signif., Alciatus ad dictam legem aliud in